

Prot. N. 12.618/80 C.A.

DUBLINEN

Dimissionis

(Soror Joanna-S.C. pro Religiosis et Inst.tis Saec.ribus)

Viso recursu diei 11 septembris 1980 Sororis Joannae, Congregationis Sororum X.Y., adversus decretum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 26 iulii 1980, prot. n. 30584/79, quo praefata Soror dimissa est ad normam can. 652, par. 3 C.I.C.;

Considerato quod, a patrono Sororis recurrentis, sequentes adductae sunt leges violatae:

1. In procedendo, eo quod colloquium perdurans inter Sororem Joannam et S. Congregationem ad definiendam quaestionem excluderet legitimitatem decreti dimissionis;
2. In decernendo, eo quod Soror Joanna semper professa est voluntatem suam in Congregatione manendi nec dolosam voluntatem debitae sese subtrahendi oboedientiae demonstravisset.

Attenta responsione patroni Publicae Administrationis;

Cum — quoad adductam violationem legis in procedendo — dum praefata Soror, post debitas monitiones cum comminatione dimissionis

oboedire debuit, nec oboediverit nec quidem demonstraverit voluntatem oboediendi, sed solummodo promiserit se venturam Roman intra tres menses ad quaestionem adhuc disceptandam;

Considerato quod — ad adductam violationem legis in decernendo quod attinet — inoboedientia Sororis manifeste patet ex factis abunde probatis;

Perpenso voto pro rei veritate redacto a R.P. Promotore Iustitiae deputato, cui neuter patronus respondit,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

in Congressu habito coram infrascripto Pro-Praefecto diei 18 novembris 1982,

decrevit:

« *Recursum esse reiciendum, utpote manifeste carentem fundamento* ».

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 novembris 1982.